

*Aug. ferm. 10 de verb. b. Dom.* imponere molem ædificij, quanto erit majus ædificium tantò altius fodit fundamentum. Cùm ergò puer angelicus magnam esset fabricam constructurus celsitudinis, de fundamento priùs cogitavit humilitatis.

Ab annis puerilibus, spreta nobilitate generis, abdicatis quæ obventuræ erant amplis hæreditatibus, contemptis opibus, sic in sanctuario Dei in familia Beati Dominici cum fratribus conversabatur, non solum sine querela, sed & cum gratia, tardus ad loquendum, promptus ad obediendum, ut cum cæteris floreret virtutibus, gratiam tamen humilitatis specialiter obtineret: idèdè se amabilem & affabilem omnibus exhibebat, sicut erat amabilis valde, carum enim omnibus reddebat vultus ipse, tranquillius semper & serenus, puræ & pacatæ conscientie nuntius, insignis modestia ac morum comitas, facilitatque; sed quam ita maturitate temperaret, ut & authoritati consuleret & gratia.

*Thom. si bac. call.* Emenso igitur studiorum cursu, probataque ejus post diutinum silentium in disputationibus scientiâ, in laudibus humilitate, Lutetiam Parisiorum missus eruditioni suæ debitum baccalaurei titulum, adipiscitur; jubeturque libros magistri sententiarum prælegere, ut talentum non minore laboris, quàm orationis studio comparatum, pari diligentia expendat. Quod quidem ille, quam obedienter de superiorum suorum manu faciendum suscepit, tam fideliter atque fœliciter adjuvante Deo perfectit, cunctis ad stuporem usque mirantibus tantum in juvene pondus rationum, tantam scientiam, in sciente faciendam, in facundo dexteritatem: & clarè percipientibus lucernam sub modio priùs absconditam, exaltandam nunc, & super candelabrum ponendam, ut esset lucerna ardens & lucens. Fuera quidem & antea lucerna ardens: (nam ex dulcedine devotionis diligens justitiam, ex fervore charitatis odio habebat iniquitatem,) sed interim adhuc sub modio, donec super candelabrum poneretur, & luceret omnibus qui in domo Dei sunt. Illo enim tempore solum illuminabat suum modium, totum postea mundum novis illustrata fulgoribus, ut quæ ardens erat lucerna, feret & lucens; cujus quia splendor ex fervore, non fervor prodijt ex splendore, lucerna erat ardens & lucens, potiùs quàm lucens & ardens: ad distinctionem eorum qui non eò lucent quia fervent, sed magis fervent ut luceant; qui profectò non fervent charitatis æstu, sed studio vanitatis. Lucere ergo incipit, & magnificari ab hominibus, quamvis ei pro minimo sit, ut ab humano iudicetur die: jamque, ut gradus altioris celsitute subnixus, & orbi universo pro honoris charitate conspicuus, scientie lumen quam sine fictione didicerat, sine invidia communicaret abundantius, doctorali laurea dignus pronuncietur. *A. E.*

*Matth. 5. 21.* superiore itaque per Cancellarium Parisiensem præmonito, ut ad gradum illum capessendum se præparet, Thomæ præcipitur. Quo ille præter opinionem audito, non levavit se super se, ut vel de sibi oblato honoris titulo blandiretur, vel altum sapiens existimaret se aliquid esse; sed cum ex intima animi humilitate se reputaret indignum, qui ad talem gradum proverberetur, infra se descendens & ad solita humilitatis arma recurrens, honorem magisterij multifariam multisque modis deprecatur. Dignam certè Angelico viro humilitatem! præclaram animi modestiam! Cum cæ-

*1. Cor. 4.* teri velint ante tempus magistri fieri, & ament vocari ab hominibus Rabbi: hic officio gradum promeritus, titulum detreçat, nec ejus oblationem sine dolore excipit. Deus autem, qui cùm sit excelsus humilia respicit, humilitatis ipse largitor & mærentium consolator, isto honore Thomam donare constituerat futurum ECCLESIAE QUINTUM DOCTOREM, THEOLOGORUM LOCORUM PRINCIPEM, PHILOSOPHORUM DUCEM.

*Ex sap. 7.* Ad illum igitur de magisterio anxium, mærentem, & post vota precesque obdormientem, sensentem cana cæsarie venerabilem mittit, qui ut morem gerat superioribus, admonet; Dei enim hanc esse voluntatem. Et quia omne datum optimum, & omne donum perfectum desursum est, descendens à Patre luminum, lectionis magistralis thema nutu divino præscribit; Rigans montes de superioribus suis: ut qui ex lapide futurus erat mons magnus, non è terra humorem, sed è cælo gratia rorem expectaret. Evigilans ipse, nec ignarus, meliorem esse obedientiam quam victimas: & auscultare magis quam offerre ad-

*1. Reg. 11.* pem atricum, quoniam quasi peccatum atiolandi est, repugnare: & quasi scelus idololatriæ, nolle acquiescere: non abiecit sermonem Domini, sed superioris voluntati benignè placidèque annuit, ut qui non tam personam intueretur momentis, quam fructum obedientie & humilitatis; atque ita quinque talentis à Deo prius acceptis, cum ejus benedictione alia quinque superlocraturus, lauream doctoralem suscipit, futurus non titulo magis quam officio doctor & magister. Quæ suscepta, cum esset sicut in re theologica solidè doctus, ita in sermone ad docendum potens, ad exhortandum vehemens, ad persuadendum efficax, ad disputandum mirè promptus & expeditus, ac omnino invictus: dici non potest quantum ejus in brevi creverit autoritas: non quidem ullo affectato studio comparata, sed innixa potissimum his tribus, integritate vitæ, rerum divinarum scientia, & faciunda singulari. Fama enim nominis ejus crescebat quotidie, & per cunctorum ora volitabat, ad eò doctrinæ ipsius sublimitas & profunditas Romæ quoque percrebesceret.

Verùm cum semper virtutes sequatur invidia, sgriantque summos vilgura fontes: quæ pravorum hominum consuetudo est, ut quicquid in bonis quos oderunt egregium atque laudabile viderint, in malam partem contorqueant; insurrexerunt viri iniqui, maculam in Thomæ gloria ponere satagentes. Alius è schola proferibit: alius & concionibus interdici laborat: alius cùm à circumfusa multitudine, tanquam oraculum audiretur, alius cum è magistrali cathedra disputaret, cœpit cum indignis modis exagitare, virulentis linguis impetere, contumelias & probra in sanctum virum jactare, nullum maledicentiæ genus prætermittere. Ipse autem, tunc quidem cum personam dumtaxat suam videbat impeti, psalmi recordabatur: cum consisteret peccator adversum me, obmutui, & filii à bonis. Et rursus, ego autem quasi surdus non audiebam, & quasi mutus non aperiens os suum: & factus sum sicut homo non audiens, & non habens in ore suo redargutiones. Non erat de numero illorum, quibus dum ex animi sententia res succedunt, quàm diu non tanguntur, mires apparent ac humiles:

*Psa. 38. Psa. 37.*

*Sylv. Orationes Theologicæ.*

*7. 8. Matth. 23. Psa. 137.*

*Divinis. 1. 1. Psa. 103. allusio ad Dan. 2. 1. Reg. 11.*

*Psa. 103. allusio ad Dan. 2. 1. Reg. 11.*

*Matth. 25. Eu doct. 1. 1.*

*Escher 9.*

*Ex psal. 85. Eccl. 47.*

*Patitur injurias*

*Psa. 38. Psa. 37.*

*1. sed,*

*1. sed,*